

Qvod bene vertere DEUS jubeat!

*De*

# Meteoris Ignitis & Aqveis,

*In Illustri ad Albin Academia,*

*Ex*

Decreto Amplissimæ Facultatis Philosophicæ,

**PRO LOCO,**

in Eâdem benevolè sibi tributo,  
disputabit publicè

**PRÆSES**

**M. JOHANNES MÜSSELER**

Sereniss. Saxon. Electoris Alumnus,

RESPONDENTE

**CONSTANTINO ZEGRÀ,**

Witteb. Saxone,

*In Auditorio Majori,*


*Ad d. II. Maii, hora antemeridianis.*

**Meteorol.**

Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. LXXVI.

272, 20.





CUM DEO.

§. I.

## Ndigna Philo-

sopho vox est : τὰ ἄνω γόδεν  
πρέπει οὐδέτερος, id est, quæ supra nos,  
nihil ad nos. Iis, qui de face ple-  
bis sunt, hoc & alia id genus effa-  
ta relinqvamus. Nos statuamus  
potius, DEUM quædam in Na-  
tura supra nos suspendisse, atq[ue]  
oculis exposuisse nostris, ut, ea

contemplantes, admiremur summam Creatoris sapientiam &  
majestatem. Atq[ue] id uti de omnibus aliis rebus in alto positis,  
ita de iis cum primis, quæ in Physicorum scholis Meteora appel-  
lantur, valere dicendum est. Qvod ne quis dubitet, audiamus  
modò, quantò ipse facer Codex opere contemplationes has Me-  
teorologicas nobis commendet. Nam in libro Jobi ipsem et DE-  
US Optimus Maximus Magisteriale, ut ita loqvar, examen cum  
illo afflictionis filio instituit, de patre pluviae, de nivis genitore,  
de glaciei & gelu matre. Et David, Vates non Phœbo, Deastro fi-  
ctio, sed Spiritu Sancto, vero & immortali Numine, plenus,  
grandinem, nivem, glaciem & procellas in laudes Creatoris

ciet. Num verò hæ res mutæ laudes DEI prædicare queunt? Nequaquam: sed id vult vir divinus, debere ex iis hominem, creaturam ratione præditam, ansam arripere de prædicandi laudes Sapientissimi mundi architecti. Postò Syracides, ubi præcepta virtutum & morum condit, ipsius Aristotelis Summi Philosophi laudem in scribendis Ethicis antegressus, Arcum in nubibus positum inspicere jubet, & benedicere ei, qui fecit illum. Taceo alia, quæ plurima adferre possem, si vellem. Faciam igitur, quod homine opera DEI magnificiente dignum est, & Meteororum considerationi, quantum id ingenii admittent vires, ali quantum vacabo. Circumscribam autem Disputationem meam iis limitibus, ut, cum duo sint Meteororum genera, Hypostatica sc. & Emphatica, & priora iterum in tres classes distribuantur, Ignita nimirum, Aquea & Spirituosa, ego Emphaticis, quæ vocant, missis, sepositis etiam tantisper Spirituosis, circa sola Ignita & Aquea occupatus sim, ne immensum opus meum excrecat.

**DEUM**, à quo rerum omnium primordia capienda esse rectè censuerunt veteres, supplici prece veneror, ut conatus hos meos felices esse jubeat.

## §. II.

Non autem, vocum explicationi insistens, Iliadem, quod dicunt, post Homerum conscribam. In Græcia natum esse Meteori Nomen, & à potiori & maxima parte deductum, Physicianorum filii passim tradunt: qui & quid Meteorum in gente spectatum sit, exponunt. Ignita autem & Aquea cur & quō modō ea, in quibus nunc operam insumimus, Meteora dicantur, ex jam dicendis constabit. *Meteora enim Ignita sunt, quæ ex Effluvio pingvi ac sulphureo accenso oriuntur.* De his ergò primo agemus loco. Mater-

tia (in qua) Meteororum ignitorum est effluvium pingue  
ac sulphureum, è terra, sulphure, plantis, animalibus  
aliisque mixtis beneficio siderum extractum, & post in aere  
ab igne accensum. Solum enim sulphur inflammari potest:  
quare quae hoc humore oleari carent, inflammationem non  
recipiunt, quod cineres, candelarum fuligines aliaque simili-  
lia docent. Ut adeo fumum vendant, qui solum fumum  
Meteororum Ignitorum subjectum faciunt. Ignem fumo,  
quantum velis, admoveas, ardenter illum, nisi insit sulphur,  
nunquam efficies. Forma (accidentalis) est externa dispo-  
sitio, pro cuius varietate & ipsa Meteora Ignita (differentia  
accidentali) variant. Causa efficiens inflammationem non  
una perpetuò esse videtur. Possunt enim haec pinguis &  
sulphurea effluvia accendi à sideribus, igniculos in aere re-  
gentibus, maximè à Sole. Possunt inflammari ab aqua cir-  
cumfusa; sicut calx viva frigidæ adspersione acceditur, ob  
pugnam mutuam corporum contrariis qualitatibus gauden-  
tium. Possunt item flamam concipere à motu & ventila-  
tione aeris, quae à ventis oritur; quemadmodum cande-  
lam nuper extinctam motitatione levi accendimus. Motu  
enim fuligines separantur, & substantiae igneæ conjungun-  
tur. Finis iterum non unus. Justitiam DEI fulmina, ter-  
rifica gloriose Numinis tela, ostentant: mentes indomi-  
tas & DEUM ipsum negantes stupescere faciunt, & virtu-  
tem divinam agnoscere. Porro Sapientiam, Potentiam &  
Bonitatem Creatoris omnia Meteora loquuntur. Aerem por-  
ro, vitiosos & venenosos dissipando halitus, expurgant, ut  
homo, his alioquin periturus, evadat incolumis. Futurae  
tandem sterilitatis & morborum saepius sunt argumenta:  
illius quidem, quia frequentiora Aeris nimiam siccitatem in-  
dicant: horum autem, quia haud raro halitus noxios & ef-  
fluvia venenata conjuncta habent.

### §. III.

Divisionem Meteororum Ignitorum mere esse acciden-  
talem, quippe in eorum figura, motu, loco, aliisque acciden-  
tibus

tibus fundatam, suprà diximus. Hâc igitur ratione præcipua Meteora Ignita sunt Ignis Fatuus, Ignis lambens, Dracovolans, & Fulmen. *Ignis Fatuus* est Meteorum Ignitum, candelæ ardoris & hoc illocque errantis speciem repræsentans.

Ignis appellatur, qvia verô igne eōq; visibili constat. Fatuus dicitur partim à moru, qvia instar facui modò huc, modò illuc tendit: partim ab effectu, qvia hominibus, existimantibus, se in pago vicino conspicere candelā translucentē per fenestram, imponit, sequentesq; & rectam deferentes viam in amnes aut paludes præcipitat. Materia ejus, ut omnium Meteororum Ignitorum, effluvium pingue ac sulphureum est. Unde conspicitur cum primis circa fodinas Metallicas, locos palustres, cœmiteria, patibula, macella & ubi hominum strages fuerunt editæ. Ibi enim exhalationes pingues in majori copia dantur, qvod pabulum suum ignis ille perseqvitur. Et qvamvis probabile sit, interdiu etiam sëpè eum adesse, tamen, ob solis lumen, non appetet. Forma in eō consistit, qvòd ardorem atq; errabundam candelam repræsentet. Cujus qvidem motus erronei & instabilis variæ reddi possunt rationes. Sive enim in causa esse potest materia non continua, sicut, si diversos pyrii pulveris acervos disponamus, paucis inter singulos granis interjectis, videmus flamمام, hōc absumentō, mox ad alium transilire. Sive aëris à vento commotio: ventus enim, ut alia leviora agitat, ita & hunc ignem, leviter tantum commotō aëre, cum materia sua facilimè propellere potest, ut modò sursum, modò deorsum, modò dextorsum, modò sinistrorsum ruat. Possunt & aliquid præstare rores, nocte in hanc facem decidentes, & eam deprimentes, contra quos illa levitate suâ resurgit, & sursum fertur. Ad formam hujus Ambulonis id quoq; referendum est, qvòd sequentes fugit, & fugientes perseqvitur. Causa est, qvia accedentes

dentes ad eum , aërem , & cum aëre etiam ipsum propellunt ; fugientes verò secum trahunt aërem , & cum aëre ignem illum . Qvamvis autem Ignis hic fatuus , sicut haclenus expositum est , naturales causas agnoscat : mali tamen Genii eum sæpiissimè in hominum perniciem dirigunt . Unde eiusmodi erratici ignes sæpe sonos & ejulatus ediderunt , homines invaserunt , verberârunt , interfecerunt . Qvanqam & horum ipsorum effectuum naturales causæ reddi non nunquam qveant .

## §. IV.

*Ignis lambens est Meteorum Ignitum , hominum capillis ac vestimentis , jubis eqvorum , navium malis , atq; aliis sine noxa adhærens .* Lambens dicitur , locutione Poëtis familiari , qvia leviter tangit res , qvibus adhæret , non urit . Est enim materiæ tenuis , sicut flamma vini adusti , in qua fluxa raritas vim adurendi planè discinxit ; unde & linteum , si in qvo est , nil ustulat . Materia ista tenuis sulphurea , sicut ipsa Descriptio indicat , ex corporibus hominum , brutorum , & antennis navium pice illitis egreditur . Exempla hujus flammæ lambentis annotârunt Maro in filio Æneæ , Senex Patavinus in Servio Tullio , Scaliger in suo eqvo , alii in aliis . Hoc saltē observandum , eam , qvando malis aut antennis navium adhæret , peculiaria nomina sortiri . Si enim unicus sit ignis , Helena vocatur , si duo , Castor & Pollux salutantur . Prior malum in mari portendere creditur , posteriores bonum omen habere à multis usqve seculis putantur . Videtur supersticio inde originem duxisse , qvia qvondam Castor & Pollux , Piratas profligandō , plurimum Græcis nautis profuerunt , Helena autem , rapta à Paride ,

Paride, infelix ipsis extitit. *Draco volans* est  
*Meteorum Ignitum, Draconis volantis spe-  
ciem exhibens.* *Draco volans* appellatur hoc Me-  
teorum, qvia Draconem eumqve volantem qvodammodo  
repræsentat. Qvæ qvidem figura inde oritur, qvia effluvi-  
um sulphureum, qvod h̄ic accenditur, partes habet dissimi-  
les, qvarum mediæ densiores, extremæ subtiliores sunt: un-  
de illæ qvidem ventrem, hæ verò caput & caudam Draconis  
referunt. Vulgus & imprimis mulierculæ, qvia hoc Me-  
teorum non æqvè crebrò conspiciunt, & qvia causas natu-  
rales ignorant, visō eō, Cacodæmonem volitare credunt.  
**Q**uem qvidem ajunt conjuratis suis lac, frumentum & id  
genus plura, hominibus aliis ablata, adferre: ipsos verò  
conjuratos vicisim obligari, ut ipsi lac moderatè calefa-  
ctum apponant. Sed vulgi sunt s̄avissimia. Interdum  
qvidem Dæmonem cum hoc Meteoro se conjungere, & in  
eo cultum à mancipiis suis expertere posse, non negamus: in  
se tamen ipsum Meteorum naturalibus causis nititur. Un-  
de nec is, cuius camino Draco insidet, statim pro malefico,  
sicuti iterum plebs insipida statuit, habendus est. Cùm  
enim fumus è camino prodiens plurimos in se contineat  
igniculos, idē Meteorum hoc sese cum eo, propter con-  
sensum naturalē, haud difficulter conjungit.

## §. V.

*Fulmen est Meteorum Ignitum, intra  
nubes, ex sulphuris & nitri pugnâ, genitum,  
& ex iis violenter per aërem ad terram de-  
trusum. Fulmen quasi fulgimen dictum volunt.*

Tota

Tota autem de eo Disputatio plena difficultatis est, quam tamen, quantum poterimus, superare conabimur. Subiectum Fulminis Nubes est, non tamen quævis, sed sulphureis nitrosisque effluviis imprægnata. Sulphur ad flammam concipiendam alendamque paratisimum est: igneas autem in se plurimas atomos complectitur, ligatas quidem, sed quæ allisione, quæ ad dispersione frigidi, quæ aliis modis facile solvi possunt. Si ergo sulphuri permistum nitrum est, & tali aliquo modo contingit accensio sulphuris, (quæ omnium citissime fit, cum sulphureæ atomi à nube frigida compressæ sunt,) tunc nitrum, ob inimicitiam naturalem, quam exercet cum igne, quæ sane maxima est, pugnare cum eo incipit, atque (falsum enim est, nitrum ullo modo accendi posse, cum sit salis aliqua species,) fugâ sibi consulit. Fugam istam sequitur fragor, & violenta ignium ejactio: fragor quidem ex subita aëris percussione; ignium vero ejactio ex pugna. Hinc est, quod certa quædam Fulminis Adjuncta esse dicantur, Fulgur scilicet, Tonitru & Lapis fulminaris. Atque priora quidem duo quomodo contingant, facile ex iam dictis constare potest, si modò duo adhuc observentur. Primum est, Fulgur modò cum, modò sine Tonitru accidere. Prius fit, quando multum nitri adest, posterius, quando materia maximam partem sulphurea existit. Alterum, quod observandum, est, prius conspici Fulgur, quam auditur Tonitru, quamvis ambo simul contingant. Quod quidem sit, cum ob temporis spatium, ad aëris fractionem requisitum, tum ob varias ambages speciei audibilis, priusquam ad aurem perveniat. Sed de lapide fulminari, unde oriatur, res alioris est indaginis. Abundent per nos alii ingenio suo, nos statuimus, eum in nubibus generari, & ex iis cum vi ad terram detrudi. Facilius negotiò cum Effluviis aliis succus lapidescens ex terris ad nubes deduci potest, quod præsente non mirum est generari lapidem. Addimus tamen etiam hoc, non semper dari Fulmen cum lapide. Multi enim sunt Fulminum

B

plurimo-

plurimorum effectus, qvi ad Lapidem fulminarem referri  
haudqvaquam possunt.

## §. VI.

Atque ita se habere rem cum Fulmine, sicut exposi-  
tum est hactenus, non tantum pulveris pyrii, ex Sulphure  
& nitro confecti, analogia docet, sed & aliarum senten-  
tiarum incommoditates relinquunt. Sunt enim, qvi ful-  
mina proximè ad D E U M , sunt etiam, qvi ad Diabo-  
lum referunt. Nos verò qvamvis glorioissimi DEI ma-  
num in tempestatibus agnoscamus, qvem etiam tot vici-  
bus Sacrae paginæ fulgurum & tonitruum rectorem prædi-  
cant, dicimus tamen, eum hodie in Naturâ nihil immedia-  
tè ( de ordinariò modò loquor, ) producere, sed semper  
mediantibus causis naturalibus operari. Sic & , qvod ad  
dæmonem spectat, valet is utiqve, cùm sit princeps aëris,  
vel per se, vel per conjuratos suos Magos, permittente di-  
vinō Numine, variè in aëre commovere materiam fulmi-  
num & tempestatum aliarum, & in certum aliquem lo-  
cum derivare, sæpe cum summô hominum damnô, sicut  
ignem immisit in Jobi oves & servos : sed verè tamen pro-  
ducere Fulmina & alias tempestates non potest, cùm alias  
seqveretur, eum solis ac stellarum motum fistere, ordinem  
universi turbare, & ordinatos à DEO cursus impedire pos-  
se, qvod sanè ipsius potentiam excedit. Schola Peripate-  
tica in reddendis causis fulminis ad halitus calidos & siccos  
confugit : qvam miserè verò rem det expeditam, jam pri-  
dem accuratores Physici, & in his maximè viri incompa-  
tabiles B. SENNERTUS & B. SPERLINGIUS demon-  
strârunt. Cæterum, Fulmen in Terebrans, Discutiens &  
Urens dividit, omnes nōrunt, qvi primis saltem, qvod dici-  
tur, labris doctrinam Physicam degustârunt. Sicut & de  
mirandis Fulminum effectis latere neminem res potest, qvi  
non

non planè in hoc studio hospes est. Nos igitur hanc Meteorum Ignitorum tractationem cum Fulmine obsignamus. Sunt quidem, præter ea, quæ jam adducta sunt, plura adhuc Meteora Ignita, ut Capræ saltantes, Scintillæ volantes, Trabs, Fax, atque alia; sed quia ea non sunt tanti momenti, atque priora, ideo nos, qui brevitati studemus, ea hinc mittimus.

## §. VII.

*Meteora aquæa sunt, quæ ex effluviis aquæis oriuntur.* Materia eorum Effuvia aquæa sunt: quæ per sidera ex aqua & terris humidis extrahuntur. Forma est accidentalis dispositio, pro cuius varietate variant ipsa Meteora aquæa. Causa efficiens, accidentalem hanc figuram & formam effluviis imprimens, est venus, frigus, aut simile quid. Finis, præter generalem illum, qui in gloria Dei consistit, est, varias præbere humiditates pro nascentibus ex terra, nec non pro animalibus, item mitigare nimium æstum aëris. Aliquando DEUS, scelerum vindic, punit peccata hominum imbris magnis aliisque Meteoris Aquæis. Sunt autem Meteora Aquæa Nubes, Pluvia, Grando, Nix, Praina, Ros, Nebula, Glacies. *Nubes est Meteorum Aquæum, ex Effluviis ad medium Aëris regionem delatis genitum, & pro ventorum varietate variè agitatum.* Dicitur Nubes ab obnubendo, quod Cœlum tegat. Materia ejus, ut omnium Meteororum Aquæorum, est Aqua, non tamen crassa, sed in vapores sive partes tenuiores redacta. Hinc maximæ Nubes super Maribus

ribus & stagnis colliguntur: & in regionibus, qvæ proximè adjacent mari, creberrimè excitantur pluviae, qvia ibi Aqva in magna copia est. Defertur autem Vapor ille usque ad medium aëris regionem, partim à stellis extrahentibus, partim ab igniculis conjunctis, qvi aquam resolvunt, & in altum elevate; qvi etiam ultimi cum primis faciunt, ut qvamvis materiâ gravi (aqvâ nimirum) constent nubes, in aëre tamen pendeant, nec terram petant. Compertum tamen est, nubes nonnunquam etiam in infima aëris regione hæsisse. Sicuti & in universum non æqvō omnes spatiō Nubes à terra distant, ideo maximè, qvia densæ & fœcundæ nubes, qvæ plus aquæ continent, necessariò humiliorem, steriles autem & tenues, qvæ minus aquæ habent, altiorem locum occupant. Porrò variè Nubes à ventis agitantur, unde formæ & figuræ Nubium diversæ, qvæ modò montes, modò arbores, modò alia nobis repræsentant.

*Pluvia est Meteorum Aqueum, è Nube fœcunda, in aquas guttatum resoluta, genitum.* Scilicet Nubes vel fœcunda, vel sterilis est, sicut Physici passim exponunt. Hæc, cùm parum humoris contineat, à ventis dissipatur. Illa autem, cùm multum humoris possideat, in Pluviam (qvam quasi Fluviam dicunt putant,) abit. Res autem hoc contingit modo: Igniculi, qvos in vaporibus Nubium dari antè diximus, ex iis, propter frigus, qvod in media aëris regione est, paullatim excut. Quo facto atomi aquæ magis magisq; congregantur, usque tum guttae inde evadant, qvæ postmodum naturæ impetu deorsum tendunt, & patriam repetunt. Sunt autem guttae istæ rotundæ ex naturali atomorum aquarum in guttis amore, qvo se mutuò complectentes istam figuram efficiunt. Vel rotundam figuram guttae adsumunt, ne rufus ab igne resolvantur: rotunditas enim vi externæ propulsandæ aptissima est.

## §. IIX.

## §. VIII.

*Grando est Meteorum aqueum, è guttulis aquaeis, in descensu à frigore intensiori conglaciatis, ortum. Rcs facile intelligitur. Nempe si frigus intensius inveniatur circa finem mediae Aëris regionis, tunc guttas aquaeas consolidat ac condensat, & sic Grando fit, qvem à granis derivant. In quo si insolite interdum figuræ reperiantur, ad supernaturales causas est recurrendum.* *Nix est Meteorum aqueum, è nube, antequam in pluviam resolvatur, à frigore excellentiori condensatâ genitum, instar lanæ mollieris terram petens.*  
Qvando enim nubes jam incipit mutari in guttas, secundum superiùs dicta, & supervenit ei frigus vehementius, tunc frigus tales flocculos efficit, qvi vagantur hinc inde, donec, partim ob gravitatem, partim ob insequentium imperii terram petant. Atqve illi flocculi aut semper, aut certè læpissime figuræ sunt sexangularis: in cuius rei causam multi qvidem inquisiverunt, sed pauci rem acutigerunt. Verissima videtur hæc esse ratio: Atomi aquæ, coēentes in guttas, vergunt qvām maximè ad circulum, ut probatum suprà dedimus. Hunc verò qvando nives, cùm congelantur, ob materiæ penuriam, adseqvi nequeunt, necessitate coactæ, figuram adsumunt hexagonam, qvæ qvām proximè circulum refert. Ceterum circa doctrinam de nive duæ nobilissimæ, sed difficultimæ, occurruunt qvæstiones. Primò qvaritur:

B 3

Utrum

Ultrum in nive aliquis color , & privatim  
qvidem Albedo sit? Nos, cùm in utramque partem  
rem expendimus, & cogitamus, liberè philosophandum  
esse, iis subscribimus, qvi colorem & albedinem nivi de-  
negant. Prostant enim hujus rei rationes gravissimæ, par-  
tim qvia in nive nullum (vel exiguum) sulphur est, à quo  
verò omnis color oritur : partim qvia ex aqua nix oritur,  
& in eam mutatur; aquam autem coloratam esse, nemo  
dixerit : partim denique, qvia nix in aquam resoluta  
nullum obtinet colorem; ubi igitur manet color, si antea  
eum habuit? Deinde quæstio oritur : Qvomodo  
Nix, in se frigida, hyemali tempore segetes  
fovere possit, & efficere , ne à frigore læ-  
dantur? Ad hoc respondemus, facere id Nivem , non  
communicando caliditatem frugibus , qvam nullam ha-  
bet, sed tum reprimendō calorem internum terræ, ne egre-  
diatur , tum arcendo externum frigus , ne invadat fruges,  
iisqve noceat.

### §. IX.

*Pruina est Meteorum Aqueum, ex efflu-  
vio crassiusculo, ferme in modum nivis à fri-  
gore vehementiori condensato, genitum.*

Scilicet quando noctu vapores ex terra ascendunt , estq; in  
aëre frigus vehementius, tunc hoc illos densat , & canitie  
qvasi exornat, ut instar flocculorum nivis, vel verius instar  
granorum salis terræ, & iis, qvæ ex terra pronascuntur, ad-  
hærere videantur. Cæterum hoc mirum videtur , qvòd  
Pruin-

Pruina, frigida suâ naturâ, tamen segetes, plantas lactescentes & germinum oculos urat. Nos statuimus, calidas segetum, plantarum & vitium partes à pruinæ frigore obsessas conjungere sese, & huic unctioni, qvam carbunculationem appellant, causam præbere. *Ros* est Meteorum aquæum, ex effluvio crassusculo, à frigore debiliori collecto, genitum, instar tenuissimarum aquæ guttularum plantarum, foliis & floribus adhærens. *Nebula* est Meteorum aquæum, ex effluviis multis, in infra aëris regione excitatis & quodammodo condensatis, genitum. *Glacies* est Meteorum aquæum, ex effluviis aquæis, condensatis & consolidatis à frigore vehementiori, genitum. Qæ qvidem definitiones cùm difficultatem nullam habeant, sine ulteriori explicatione à nobis dimituntur. Cæterum vulgo ad Meteora aquæa etiam referri solent Mel & Manna; sed admodum ineptè. Si enim Mel est Meteorum, cur tantum in foliis, floribus, herbis ac frugibus residet, non verò æquè in graminibus, in lapidibus, in lignis aridis atqve aliis? Tutius ergò statuitur esse succus plantarum, qui ab apibus colligitur, & in illarum vesiculis coquitur & mutatur, ut homini in alimentum cedat. Sic etiam statuendum de *Manna*, esse fructum plantarum,

rum, qui ex herbis & frondibus ramisq; ar-  
borum stellarum virtute educitur. Addimus  
verò hic illud, nos non loqui de Manna, quod DE-  
US in deserto populo Israëlitico dedit mandu-  
candum, sed de alio quodam naturali,  
quod ab illo toto cœlo  
differt.

# SOLI DEO GLO- RIA!



Melior